14 Maio 1652

VALENTINI RANDOVR

S. THEOL. DOCTORIS AC PROFESSORIS REGII IN ALMA VNIVERSITATE DVACENA

ORATIO

Contra Synopſim de Gratia & annexis SAMVELIS MARESII *Caluiniſtæ*,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Habita in Scholis Publicis ad ſolemnem inaugurationem S. THEOLOGIÆ LICENTIATI D. IOANNIS IENNIN PRESBYTERI &c.

14. *Maij*. 1652.

ERROR principio paruus; niſi quamprimum corrigatur, fit magnus, maiorque ipſo progreſſu tandemque maximus, *Magnifice Rector*, Eximij ac Clariſſimi viri: dolor primas voces extorquet, nec fert ambages aut periodos ſententiarum, totus penè in ſuſpiria erumpit. Eheu! error principio paruus, maximus fine, imo ſine fine, eſt virulentus ille *Catechiſmus gratiæ*, quaſi fonticulus ſcatens erroribus, Pariſijs primùm, inde Ambiano, iterum Gandauo, cujus venenum Romæ extinctum credi poteſt *Antidoto Duacenſi*, latáque à S.mo Dño & Cardinalibus ſententiâ ſexto Octobris anno Iubilei poſtremo. Serpunt tamen adhuc errores illi fluminium more, quorum fons exilis eſt; nunc lucem exoſi ad inferos labuntur vltrò, vt amnes nonnulli ſe ſub terram condunt; nunc per cuniculos pariter in auras exſiliunt; tandem in Hollandiam, quò maiores Germaniæ noſtræ fluuij erratici fluctus ſuos exonerant, erroneus iſte Catechiſmus præceps deuolutus eſt, ipſumque rebelles Deo, ac Dei Vicario Prouinciæ obuijs vlnis complexæ ſunt. Error principio paruus, fine magnus. Declamant ſiquidem è Cathedra peſtilentiæ miniſtri, & Samuël Mareſius Pſeudo-Doctor libro cui titulus, *Synopſis de gratia & annexis quæſtionibus* triumphat his verbis: *Pars ſanior ac doctior Papiſtarum*, Ianſenitas vocat, *ad nos Caluini ſectatores accedit*. Tinniant licet ambæ aures, Orthodoxi ac Pontificij Doctores mei, cogit dolor has voces expromere, quas animus exhorreſcit. Ianſenitas neſcio quos nuncupat hæreticus ſaniorem ac doctiorem partem Pontificiorum, quæ à Caluino deuota, aut ſaltem Caluino nimis deuota, Romanæ Eccleſiæ ſigna deſerit, & à Ponti-

ficibus

Digitized by Google

ficibus per Bullas & Breuia contumax declaratur. A Reuerendiſſimo Ianſenio olim Iprenſi Epiſcopo mentem auertatis velim, vt qui contumaciam contra Petri ſucceſſorem non docuit, multò minùs Auguſtinus Doctorum maximus. Quâ ergo fronte Samuël hic indigetet à Ianſenio Ianſenitas eos, qui contumaciæ Caluinianæ æmuli ſunt, non capio, non intelligo: quos fine libri laudat, quòd tyrannidis Pontificiæ, Meretricis Romanæ iugum excuſſerint, à Ianſenio Ianſenitas nominare non debuit, ſed planè à Caluino Caluinitas. Multò minùs percipio cur saniorem ac doctiorem partem Pontificiorum vocet Ianſenitas, niſi vt Pontificios conuincat Caluiniſmi: hanc labem nemo noſtrûm ferendam putet: & ſi quidam nomine Ianſenitæ glorientur fortaſſis, nullum tamen huiuſmodi reipſâ & profeſſione in Vniuerſitate hac eſſe cõſido; ideo luem iſtam oratione meâ elui æquiore animo patiemini. Horrore ſiquidem huius Caluiniani monſtri in Ianſenitam conuerſi ſummè attoniti Patres Romani per Ill.mum Pronuntium, *Antonium Bichum*, litteris ad Ampliſſimos Dominos Vicarium Atrebatenſem & Præpoſitum S. Petri vnâ datis Martio poſtremo, monent Pontificios Doctores vt zelum accendant & ſtilum exacuant contra errores quoſcumque graſſantes, ſiue Ianſenitarum, ſiue Caluiniſtarum appellaueris, cùm iam ijdem eſſe probati ſint teſtimonio Caluiniſtarum pariter ac Pontificiorum, vt diuidere ſe à Caluiniſtis Ianſenitæ non poſſint eiuſdem Catechiſmi tellerâ fœderati: Error principio paruus, fine magnus!

Inter acerbiſſimos Belgicæ noſtræ luctus ſuper doctrinâ turbida ab annis duodecim excitatâ nihil lætitiæ communicare vobis poſſum, *Doctiſſimi Academici*, niſi quòd eodem telo configendi ſint Caluiniſtæ & Ianſenitæ, quales ſcilicet *Samuël* fingit, vt dum ſe mutuò fulciunt, ſimul ambo cadant; dum in eadem dogmata conſpirant, vnà exſpirent; imò quod à Catholicis inflictum vulnus eluſerunt Ianſenitæ, hoc ipſum læthale ab hæreticis accipiant. Præſtat autem vt compilatorem errorum *Samuëlis* me ipſe non geram; fidem habebitis viro, qui Sereniſſimo Archiduci maximè fidus eſt, & Epitomen Pſeudo-Catechiſtæ iſtius mihi exhibet his verbis: *Liber eſt exiguus* (nunquid benè dixi, error principio paruus?) *ſed*, pergit ille, *talis vt exiſtimem auctorem illius per eum inflixiſſe Ianſenitis luculentius vulnus, quàm hactenus ab vllo alio inflictum fuerit. Oſtendit enim 1. Sẽtentiam Ianſenitarũ de gratia, libero arbitrio, cæteriſque annexis eſſe purã putam doctrinam Caluini, approbatã in Synodo nationali Dordracena: de re tota proinde gratulatur ſuis Gomariſtis, ac ſaniori doctiorique parti Papiſtarum ſecum ſentientium, vt ipſe loquitur. 2. Oſtendit, tergiuerſationem illam contra ea quæ publicarit Pontifex in acie Campi florę, eſſe opus veræ Eccleſiæ, quæ libera eſt, & extra ius tyrannicum Meretricis Babylonicæ ſeu Romanæ. 3. Denique addit, ſperare ſe ac omninò confidere, ſaniorem doctioremque partem Pontificiorum (fruſtrà ſe opponentibus viris Ieſuiticæ ac Pontificiæ factionis) facilè cum Caluiniſtis conſenſuram quoad reliquas controuerſias, de auferendo Altaris Sacramento, de abijcienda inuocatione Sanctorum, de euertendo* P. Joannes Schega

Imaginum

Imaginum cultu, ſimilibuſque; quandoquidem in duobus punctis fundamentalibus, n mirum de gratia neceſſitante liberum arbitrium, & de non curandâ Pontificis poteſtat ſecum ſentire voluerint & cœperint. His paucis vir ille fidiſſimus anatomiat errorum Samuëlis confecit; ego ingemiſceus illud ingemino, error ſine ma ximus; & intelligo ex illis qui ſint Ianſenitæ (an ſint ignoro) illi ſcilicet qu hominis libertatem brutali alligant neceſſitati, peccandi ſine gratia, & ben operandi cum gratia; illi qui poteſtatem *ligandi atque ſoluendi*, leges fidei a morum dogmaticas condendi, Pontificiam ac planè diuinam placito huma no adſtringunt; illi ſunt Ianſenitæ ex definitione Samuëlis, de quibus ipſe ſperat fore, vt breui ſacram Hoſtiam conculcent, in Sanctos blaſphemi ſint, ſacras eorum reliquias, vnàque Deiparæ, Crucis, Chriſti Imagines in fruſta dilacerent. Erubeſcite, exhorreſcite, tinniant ambæ aures veſtræ, ſi qui fortaſſe plus æquo pertinaces, Ianſeniſmi ſuffragatores, Catholici & Orthodoxi audire vultis, & non Caluiniſtæ ac hæretici; ſi cathedræ Petri defenſores, & non euerſores; dum eam indignè laicæ ſubijcitis poteſtati. Prô pudor, dolor, error in fine maximus!

Paruus principio Catechiſmus, titulo gratiæ blandulus, ſed cuius pernicioſum virus aduertit ocyùs Ampliſſimus Cenſor noſter, & antequam libellus inſtar Calepini intumeſceret, præſentiſſimum antidotum iudicauit opponendum magnâ ſapientiâ, quidquid auctor reflexionum Pariſienſis laruâ Catholicus, reipſa Caluinianus, in tãtùm virum enomuerit: Ab improbis vituperari, laudari eſt; ſicut ab impijs efferri laudibus, conuitijs proſcindi eſt. Vidit Eximius Cenſor noſter acutiùs quam tu, mi *Samuël*, qui te lynceum putas, cum cæcus cæcis ducem te præſtes; vidit quò Catechiſmus ille peſtifer ſpectaret. Dic primùm quid obſeruaueris tu Pſeudo-Doctor? exſultat verò hic in verba blaſphemiæ: *Ad imminentem ſubuerſionem ſedis Antichriſtianæ, ſeu Romanæ, has controuerſias de gratia omninò ſpectare, ad idololatriæ in Papatu euerſionem circa quæſtiones Euchariſticas attinere, ſufficiat obſeruaſſe*, inquit: additque, *ſi Doctiſſimi Viri*, ſcilicet Ianſenitæ, *eâdem diligentiâ conferant Auguſtinum in quæſtione de tranſſubſtantiatione, quâ diligentiâ eum legerunt in controuerſijs de gratia, receptæ apud ſuos opinionibus haud ægrè valedicent*. Pertimeſcite docti indoctique, quàm præceps lapſus impendet ſub pallio ac nomine Diui Auguſtini (vt monuit nos Sereniſſimus Archidux in ſua ad nos epiſtola, omnibus ſapientiæ notis inſigni) *ſub auctoritate Auguſtini*, inquit, *vt ſub melle venenum*, etiam loco adorandæ Euchariſtiæ, *ſimplicioribus atque incautis propinatur*; niſi Cathedram Petri, vt fidei columnam, teneatis, perijſſe vos æternum eſtote certiſſimi: O errorem in fine maximum!

Nec tamen ibi ſiſtit lynceus Samuëlis oculus, futuram quoque ætatem penetrat; nec tantùm impiâ coniecturâ aſſequitur, quòd *motus illi conuulſiui, quibus nunc ſubeſt communio Pontificia, ſacerrimæ illius Sedis euerſionem portendant*; ô ariolum execrandum! ſed etiam quòd dogmata, quæ ſuo Catechiſmo pro-

 ponunt:

Digitized by Google

ponunt & propugnant Ianſenitæ cum illorum annexis & conſequentibus, *publicâ auctoritate conſtabilita erunt aliquando, & ad eorum communionem haud grauatè accedent Caluiniſtæ, & ex vtraque gente vna efficietur.* Sacrilegum portentum! Quænam iſta auctoritas publica, quæ dogmata fidei ac morum ſtabiliet? Quænam alia à Sede Apoſtolica? effare Samuël, hic te ſtringo, nec deſeram, ſed repeto: Quænam auctoritas publica veritatis oracula depromit, vbi à Petri Cathedra receſſeris? ſilet, pudet, eget interprete: hunc præſtabo: Magiſtratus politicus dogmata Ianſenitarum, vti Caluiniſtarum conſtabiliet: nunquid ita eſt? Erubuit, ſalua res eſt, ceu veritas: nec tamen ab eo recedit contumacia: poteſtas humana de diuinis myſterijs ſententiam feret; mercatores, laniones, fabri, illiterati de ſacrâ doctrina iudicabunt: huc erroris Chriſtiani recidunt, quo nulli leguntur corruiſſe Pagani: ad hunc Atheiſmum inuitat *Samuël* Ianſenitas, quo Anglia præceps ſub oculis Belgij acta eſt. Horror, error ſine maximus! Clauum perdidit oratio, fluctuat, mergitur, abſorbetur.

Reuocas ipſam à naufragio, Ampliſſime Cenſor, quem Samuële oculatiorem fuiſſe dixi, nec vanum erroris iſtius extremi aruſpicem, cum Ianſenitarum Catechiſmum cenſuit eſſe purum virus ab occulto Caluiniſta propinatum, vt animos agat in furias contra Sedem Romanam, vt Flandriam & Brabantiam ab obedientia Regis Catholici abrumpat, & hanc Hollâdiæ, illam Zelandiæ hoc doctrinæ fœdere, adiungat. Nunquid manum porrigit Groninganus Samuël, vt Catholicum Belgium in communionem rebellionis admittat? Auguratus eſt ſapiens Cenſor è ſpecula ſua tempeſtatem, interrogatione 45. vbi reſpondetur, *nihil eſſe pernicioſius aut damnabilius quàm populo abblandiri, quaſi eſſet prædeſtinatus,* ipſique *gratiam polliceri, quæ neceſſitatem adferat æternæ ſalutis: hæc fuiſſe prima lenocinia quibus* Wicleffus, Lutherus, Caluinus, cæterique Hæreſiarchæ fatentur vltrò, ſe bellum primò indixiſſe libero arbitrio, deinde Pontifici, Eccleſiæ, Regi, Imaginibus, Sanctis, Deo, ipſum Deum auctorem omnium ſcelerum ſuæque damnationis Buccinantes: O errorem ſine peſſimum!

Accipe nunc Danaum inſidias & crimine ab vno,
Diſce omnes.

Mendacia Samuëlis ex vno alterove, collige omnia, ô quicumque es ſalutis amans, ſiue Regis ſubditus, ſiue Hollandus, Zelandus, Friſo: fatetur Samuël ſuum, Caluini, Ianſenitarum Catechiſmum eſſe proſcriptum Romæ, & ipſum decretum verbotenus exponit; addit tamen *proſcriptionem iſtam ita timidè factam ab Inquiſitione, vt vnà damnauerit alium libellum, qui huic oppoſitus fuerat,* ſcilicet antidotum Duacenſe: conuincit ſeipſum perfidiæ Samuël, allegato Cardinalium decreto, quo prohibitus cenſetur libellus Duacenſis, non damnatur autem doctrina in eo contenta; contrà verò expreſsè damnatur Catechiſmus Samuëlis & Ianſenitarum, *quia in eo continentur quamplures ſententiæ aliàs per Pontifices damnatæ.* Ecce tangunt digito confœderatæ Prouinciæ impoſturam Samuëlis: nam doctrina antidoti Duacenſis approbatur

eodem

eodem decreto, dum dicitur fuiſſe *examinata per Theologos eiuſdem ſacræ Congregationis qualificatores*, proinde inuenta, vt præfert titulus, planè conformis Bullæ Pij V. Gregorij XIII. Vrbani VIII. verumque *antidotum contra errores temporum*; improbata dumtaxat, quia tractatulus eſt gallicus *de auxilijs* ſupra captum vulgi. Nimirum quia vlteriùs hoc antidoto opus non eſt, vbi ſupponit ſanctiſſima Sedes venenum Catechiſmi Gallici, & Teutonici damnatas ſententias continentis, extinctum per obedientes Eccleſiæ filios. Aliud enimuerò editione libelli iſtius Duacenſis nihil ſpectauit Ampliſſimus Cenſor, quàm vt eſſet antidotum præſens, donec Apoſtolica Sedes erroneum Catechiſmum condemnâſſet, quo potitus voto, Duacenſem libellum, quamuis ſanæ doctrinæ ſupprimendum vltro cenſuiſſet, iiſdem de cauſis, quibus Cardinales iudicarunt. Hoc ſufficiat vt mendacia *Samuëlis* cętera ſplendidè confuta intelligant Hollandi, & ab impoſtore iſto vltrà ſe decipi in negotio æternæ ſalutis minimè patiantur: Error enim à fine iſto maximus eſt.

Si aliud fallaciſſimi hominis exemplum expoſcant, ad manum eſt: Ait enim: *Cenſuram iſtam Romanam, ceu ſubreptitiam nec obligantem naſo ſuſpendere adunco Pauli & Auguſtini ſequaces, Papæ auctoritatem ſenſim labaſcere.* Hic fidem humanam omnem conuellit. Duacenſis enim Vniuerſitas prima decretum reuerenter admiſit & promulgauit quaſi triumphans, quòd ſuus ipſe libellus damnatum Catechiſmum ad inferos vſque bibliothecarum perſequeretur, Flandri conſequenter ac Brabanti Teutonicum opuſculum cremarunt, non tantùm proſcripſerunt; cumque ipſum *Samuël* ac Caluiniſtæ ſuum iam fecerint in Latinum idioma conuerſum, oſtendet Academia hęc ſuum antidotum non eſſe damnatum Romæ, ſed veritatis compendium, quo ſinguli errores Samuëlis configantur: tantùm abeſt vt ſperare poſſit alter hic Sinon, Catechiſmum hæreſibus fœtum velut equum palladis Troiam, hoc eſt, in Eccleſiam introducendum. Nemo enim eſt, nemo planè Doctor Catholicus, qui bullas dogmaticas, aut decreta, vt in foro conſcientiæ obligent, à placito poteſtatis humanæ pendere finxit; bullam Vrbanianam, non tantùm ipſum de Catechiſmo decretum, ad primum Illuſtriſſimi Pronuncij monitum acceprârunt Domini Vicarij Atrebatenſes, & promulgarunt ſcholæ noſtræ, nullâ Regiorum Miniſtrorum offenſione, quibus venire in mentem non poteſt, quòd Pontificia poteſtas, in controuerſijs fidei pacandis planè diuina, iudicijs hominum ſubiaceat. Pro infallibilitate ſanctiſſimæ Sedis in decretis fidei & morum, nullus Doctorum eſt, qui vitam profundere detrectet: ſed pro hac veritate tuenda non eſt martyrio locus, niſi ad Batauos migremus; vbi error principio paruus, fine maximus, nec ſatis vmquam deflendus.

Quantumuis finem dicendi ſpectem, deſerere adhuc te non poſſum, mi Samuël cum tuis Ianſenitis, quin ipſis ob oculos ponam, ſi cathedra Petri defecit à veritate docenda per bullam Vrbanianam & decretum de Catechiſ-

 mo,

Digitized by Google

mo,par eſt vt aliam à Romana quæratis Eccleſiam, quæ cum infallibilitate doceat. An Dordracenam Synodum erexit Chriſtus,vt Apoſtolicæ ſedis *oracula* corrigeret? Scitote ipſa emanâſſe ſecundùm Tridentinam Synodum à Pio V. Pontifice verè ſanctiſſimo, ſummo Theologo, Ordinis Prædicatorum,qui non à Spiritu ſancto dumtaxat, ſed à S. Dominici primis luminibus fuerat illuſtratus. Viderat,audierat excelſos illos Theologiæ apices,Caietanum,Ferrarienſem,Dominicum Sotum & alios: quos viros, quos doctrinæ Principes? Nulla deinceps tradidit dogmata Sedes Apoſtolica,niſi ſecundùm Pium V. nulla Gregorius XIII. nulla Vrbanus VIII. nulla Innocentius X. omnes hi à Pio V. ex Cathedra datam Eccleſiæ doctrinam confirmarunt. Nullus Pontificum à Pio V. recedere poteſt, qui generoſiſſimè damnauit in terminis doctrinam Baij *perpetuò valiturâ conſtitutione*, vt Samuëlis & Ianſeniſtarum errores damnati eſſent antequam nati. Quid autem inſipientiùs ab his ipſis fingi poteſt,quàm obligare ſanctiſſimam Sedem, vt Samuëlis hæreſes & cuiuſcumque auctoris in proprijs terminis condemnentur? Neque hâc ratione damnatus eſt à Tridentini Patribus Lutherus,Caluinus,cæterique Hæreſiarchæ. Concludamus: damnatus eſt Samuël cum Ianſenitis ſuis à Pio V. Pontificum ſummo, Doctore Ordinis S. Dominici ſapientiſſimo iuxtà ac Sanctiſſimo: ab hoc-ne potuit ruinam traxiſſe Apoſtolica Sedes, *aduerſus quam portæ inferi præualere non poſſunt*? Potuitnè Pius V. ac S. Dominici Ordo præclarus præualere aduerſus Cathedram Petri eiuſque infallibilitatem? Ridere-nè debeam,an flere,neſcio; cum hic Ieſuitas mordet inuidia,ex qua Societate ſub Pio V. vix vlli extiterunt celebres Scholaſtici. Samuëlis ac Ianſenitarum(quales fingit Samuël)damnatorum gloriam habete vobis Illuſtriſſimi Patres S. Dominici ac S. Franciſci, qui vnanimes ad heroïcum id facinus Pium V. induxiſtis; neque honorem hunc vllâ ratione Societati IESV concedatis. Licet enim nulla extaret alia quàm à Pio V. bulla, percuſſus es anathemate, mi Samuël cum tuis Ianſenitis; paruuſque error ſub Pio V. lapſu ætatis & contumaciæ factus eſt magnus, à quo nulla poteſtas humana, nulla ignorantia, ô Viri docti, vos vmquam abſoluet.

Quid ſapitis, ô Eccleſiaſtici, Nouatorum cantilenis,velut præſtigijs,faſcinati? necdum præteriti ſæculi ruinas reparaſtis, adhuc illæ in oculis ſunt, quas paſſi eſtis ab infeſtis liberi arbitrij pariterque diuinæ gratiæ inimicis: nondumnè grauem ſatis bonorum iacturam feciſtis, hic, in Hollandia, & vbique? *Facti eſtis ſicut torris raptus ex incendio* Batauiæ, Angliæ, vicinorumque regnorũ per Pótifices Sãctiſſimos; ne patiamini vllâ inobedientiâ vos ab Apoſtolicæ ſedis tutelâ auelli dolo Samuëlis, qui vos ſub Magiſtratûs politici protectionem compellit. Nolite à Romanæ Eccleſiæ ſolidiſſima Petra fraudibus vllis abrumpi, ne à Catholico Rege pariter deſeramini, qui non vult niſi Romano-Catholicis imperare; idcirco paſſus confœderatas Prouincias à ſuo imperio

perio excidere, potiùs quàm ipſis concederet errandi in fide libertatem: nec fallamini: non ſunt tolerandi errores Samuëlis ſuorumque Ianſenitarum, minus etiam quàm olim Grecorum, quos tamen Latina Eccleſia reſecuit magnâ ex parte, & ſub tyrannidem Turcarum deuolui omnes miſerando caſu permiſit. Si Belgica pariter à Romano capite abſcindatur, nihil ſupereſt, niſi vt in poteſtatem Anglorum aut Batauorum tradamini, qui opimis inhiant bonis Eccleſiarum & Monaſteriorum veſtrorum, ô Cœnobitæ: à nutu Pontificio, vtà ſole radius, pendetis: cauete in quem inſurgatis, vt Batauo vni ſuiſque Ianſenitis auſcultetis, qui vos quaſi naſo geſtiunt circumducere, donec in foueam ſchiſmatis ac hæreſeos corruatis per errorem tali fine longè maximum.

Ad hæc contremiſcens oratio ſiſtet, Te compellando, Illuſtriſſime *Antoni* Abbas S. Anaſtaſiæ; præclarè rem geſſiſti per annos, ferè duodecim, quibus te pro ſummo Pontifice ſacra adminiſtrantem complexu ſuo fouit Belgium: tamdiu prudentiam & fortitudinem tuam mirari ſumus, dum in caput tuum tota iſta detonuit tempeſtas: auelleris modò è viſceribus Patriæ & Romam diſpoſitis equis properas, vt debita virtuti tuæ præmia reponat Maximus ſacrorum Præſes. Expone Sanctiſſimo Patri coràm, turbari Samuëlis calculo à Ianſenitis ipſius, rempublicam Catholicam; ora, exora, vt ipſorum quantumuis damnatam à Pio V. ac ſucceſſoribus doctrinam iterum iterumque damnare ne pigeat; oracula veritatis promat, & omnes Pontificios veritatis Doctores in perduelles Eccleſiæ filios armet. Habebit in Belgio fœdere iunctos ſanctiſſimo, Illuſtriſſimos Cameracenſem Archiepiſcopum & Tornacenſem Epiſcopum, noſtræ facultatis Theologicæ & Vniuerſitatis integerrimâ fide munitos, qui ambo ſeipſos deuouerunt pro infallibilitate Apoſtolicæ ſedis propugnanda; ille quidē ſe *murum oppoſuit pro domo Dei* contra fœderatam cum Batauis Ianſenitarum doctrinam Antuerpienſis Epiſcopus annos ferè octodecim; hic verò Gallo-belgicam totam, ex quo ad Infulas euectus eſt, animauit generoſiſſimo ſpiritu ac planè diuino. Ambo niſi fortiſſimè obſtitiſſent contra ſæculi torrentem, heu! quo res ſumma loco eſſet? Serua, ſerua Deus optime maxime geminam iſtam Eccleſiæ Belgicæ columnam diutiſſimè incolumem: vota cetera tacitè nuncupamus, Auditores humaniſſimi; Vobis, quòd duraſtis patientiâ, aureſque commodaſtis, gratias ago immortales. Dixi.

Cæterùm quòd caput & coronis huius celebrioris actus eſt, ſiſtit ſe Amplitudini tuæ Eximie Cancellarie, ſacræ noſtræ laureæ candidatum, venerabilis vir hîc coràm, multis titulis clarus, Penitentiarius Apoſtolicus, Protonotarius & Parochiæ vnius è primarijs Paſtor Brugis nobili emporio, vir ſanè idem non paucis lucubrationibus illuſtris, multiplici eruditione inſignis, qui ad cætera noſtræ Vniuerſitatis ornamenta non parum conferet: hunc, inquam, vt omni officio complectaris tanquam emeritum, ac optatâ Licentiæ laureâ inſignias, Ampliſſime Domine, de mandato noſtræ Facultatis efflagitamus.

APPROBATIO.

Vidit & Approbauit THEODORVS VAN COVVERDEN, *Librorum Cenſor. Die* 16. *Maij.* 1652.

DVACI,

Ex Typographiâ IOANNIS DE FAMPOVX, ſub ſigno Sancti Spiritus.

M. DC. LII.

Digitized by Google

APPROBATIO.

Vidit & Approbauit THEODORVS VAN COVVERDEN, *Librorum Cenſor.* Die 16. *Maij.* 1652.

DVACI,

Ex Typographiâ IOANNIS DE FAMPOVX, ſub ſigno Sancti Spiritus.

M. DC. LII.

CMA EMANUELE